



Misc. 6^{me}

cat. 1, 63.



Q. D. B. V

DISSERTATIO VII.

**OBSERVATIONVM
CRITICO-PASSIONALIVM
PRAEDICTIONEM CHRISTI**

DE DISCIPVLORVM SCANDALIZATIONE

SIGILLATIM EXAMINANS

QVAM

INCLVTAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE
INDVLTIV

IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA

DIE XXI SEPT. M. DCC. XX.

PLACIDAE ERVDITORVM *αυθεντικες*

SVBMITTIT

PRAESES

SAMVEL FRIDER. BVCHERVS

AA. ET PHIL. MAG.

ET

RESPONDENS

CAR. GODOFR. LOCHMANNVS

SPANSBERG. MISN. S.S. THEOL. STVD.

VITEMBERGAE

LITERIS CHRIST. SCHROEDERI, ACAD. TYP.



VIRIS
MAGNIFICIS SVMME REVERENDIS EXCELLENTISSIMIS
AMPLISSIMIS DOCTISSIMISQVE DOMINIS
DOMINIS
MARTINO CHLADENIO
SS. THEOL. D. EIVSD. P. P. O. AEDIS OO. SS.
PRAEPOSITO GRAVISSIMO

IOANNI GVILIELMO IANO
SS. THEOL. D. EIVSD. P. P. O. ALVMN. REGIO-ELECT
EPHORO GRAVISSIMO
THEOLOGIS CONSVMMATISSIMIS ET DE ORTHODOXA
ECCLESIA OPTIME MERITIS

NEC NON
IOANNI CHRISTOPHORO
VVICHMANNSHAVSEN
LL. OO. P. P. O. ET INCLYTI ORDINIS SVI SENIORI
SPECTATISSIMO

IO. GVILIELMO BERGERO
ELOQV. P. P. O. ET ALVMN. REGIO-ELECT
EPHORO SOLERTISSIMO
VIRIS DE RE LITERARIA ET DE STUDIOSA IVVENTVTE
IMMORTALITER MERITIS

PATRONIS AMPLIFICATORIBVS PRAECEPTORIBVS ET
STVDIORVM SVORVM PROMOTORIBVS OMNI PIETA
TIS CVLTV AETATEM DEVENERANDIS
HAS EXERCITATIONES ACADEMICAS
EA QVA PAR ERAT SVBMISSA MENTIS VENERATIONE CVM SERIO
PERPETVAE FELICITATIS VOTO

D. D. D
TANTORVM NOMINVM
ADMIRATOR ET CVLTOR PERPETVVS
M. SAMVEL FRIDERICVS BVCHERVS

CAPVT IX.
 CHRISTI PRAEDICATIONEM DE
 DISCIPVLORVM SCANDALIZATIONE
 SIGILLATIM EXAMINANS

§. I.

Precationem Christi vehementem in horto Gethsemane factam *Bynaeus* & *Sagittarius* referunt ad Partem alteram, quam Passionem nos stricte sic dictam adpellauimus supra. Sed enim, cum Seruator ibidem, ut uir doctissimus *Sagittarius* ipse submonet, precibus sollicitis ad Deum fufis, animum ad instantem Passionem praemuniverit, & ab Angelo solatium acceperit, illam, una cum praedictione Christi, quod ipse sit scandalo futurus discipulis, praemittere, atque cum aliis precationem ad Passionis imminentis praeparationem reducere, placuit.

§. 2. *Antecedens* Precationis illius erat exitus ex urbe sancta ad montem oliuarum, in quo itinere de scandalizatione praedixit CHRISTVS. Matth. 26. 30. Marc. 14. 26. καὶ ὑμνήσαντες ἐξῆλθον εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. Ὕμνος, hymnus, κωσῶς ἢ εἰς θεὸν αἰδῆ; proprie & primario carmen in Dei laudem est, *Sophoclis Scholiaste*, *Ammonio Alexandrino* & *Mennandro* luculenter id affirmantibus. *Callisthenes* significanter admodum apud *Arrianum de Expedit. Alexandri*, l. 6. Ὕμνος μὲν ἐς τοὺς θεοὺς ποιεῖται, ἔπαινοι δὲ ἐς ἀνθρώπους, hymni quidem in honorem Deorum fiunt, laudes autem in hominum. Consonant *Gregor. Nazianz. Chrysostom. Augustin. Sagittar. Bynaeus*, ceteri. Lucas ipse uerbum ὕμνον sic usurpavit, cum de Paulo & Sila narrat, quod in carcere ὕμνον τὸν θεόν, carmen Deo, praecinuerint. Act. 16. 25. Atque ita proprie, idios, καὶ κωσῶς, est cantus in Dei laudem, qua significatione uenit, cum Euangelistae aiunt: Ὑμνήσαντες, cum hymnum, den Lob-Gesang, das grosse Halleluia, cecinissent. De etymo τῶ ὕμνος & origine hymnorum erudite differit *Sagittar. l. c. P. 2. c.*

A

i. p.

1. p. 306. sq. Qualis vero hymnus fuerit, acris inter Eruditos rixa est. Plurimi, Halleluia M. hoc est, *Psalms 113. 114. 115. 116. 117. & 118.* in Coena Paschali Iudaeos solemniter, more Hebraeis perantiquo, cecinisse, existimant, & Christum carmen illud, Halleluia M. adpellatum, perinde ac reliquos retinuisse, acerrime, nec absque fortassis fundamento, contendunt. Ita sentit Paul. *Burgens. Episcop. ad Ps. 112.* qui apud Hebraeos ordine est 113. *Druf. Obsér. l. 7. c. 15. Buxt. Lex. Talm. p. 613. sq. Lightf. Hor. Hebr. ad Marc. 14. 26. Bynaecus de M. C. l. 2. c. 1. qui p. 21. scite superaddit: Ita quidem, ut, cum Iudaei dæus illius constituant partes, quarum prima Psalmum 113. cum 114. altera reliquos complectitur, & primam recitent, antequam accumbant, alteram post sumptum cibum, de parte duntaxat accipiatur posteriori.* Vero similius utique uideretur, quod doctissimus Bynaecus, Magistris Traditionum non reclamantibus, repetit. In altera uero parte, si *Talmudicis habenda fides, memorabantur haec quinque: Exitus ex Aegypto, sicut scribitur, Cum exiret Israël ex Aegypto: Scisso maris rubri, sicut scribitur, Mare uidit & fugit: Traditio Legis, sicut scribitur, Montes saltauerunt sicut arietes; Resurrectio mortuorum, sicut scribitur, Ambulabo coram Deo in terra uiuentium: Dolores Messiae, sicut scribitur, Non nobis Domine, non nobis. Pesachin fol. 118. 1.* Post agnum absumptum כוס הלה, poculum laudis, exhibebatur, *ποτήριον ὑμνήσεως*, quod inde nomen suum habuit. De cetero Iudaei gratitudinem, ut *Iacobus Lydius tradit*, magni faciebant, adeo, ut dicerent: *Super tribus rebus mundus consistit, super Lege, cultu sacro & retributione beneficiorum.* Et inter tria praeclara Mosis inuenta recensent benedictionem cibi. *Deut. 8. 10. Iuchasin p. 9.* Qui orandi & benedicendi ritus ad mensas perantiquus est. Errat igitur, more suo, *Baronius*, quando ab hymno Christi illum deriuat, & *Patres* nonnulli decipiuntur, qui ritum ex *Matthaeo, c. 14. 19.* petunt uolunt, quando Christus benedixit panibus, oculis in coelum sublatis. Nam & Paganis fuit frequens & usitatissimus. In *Platonis Symposio* statim, ut *Socrates* accubuit,

buit, conuiuiae libationes faciunt, & ἄδουσι τὸν θεόν, & hymnum Deo canunt. Athenaeus l. 4. de Naucraticis enarrat, moris olim fuisse discumbentibus procidere in genua & surgere, ubi sacrorum Minister preces patrias recitarit. Diotogeni Pythagorici etiam hoc praeceptum inuenitur apud Stobaeum: Καλῶς δὲ & τὸν θεὸν ἐν ἀρχῇ τῷ δείπνῳ & τῷ ἀριστῷ ἐπιναλεῖσθαι. Οὐχ ὡς δεόμενόν τι. τῶν τοιούτων, ἀλλ' εἰς τὸ μναθεῖναι καλακομνηθῆναι τὴν ψυχάν. Bene fit etiam, ut Deus initio & coenae & prandii inuocetur, non quia tale quid ei sit opus, sed ut quisque Dei recordans animo sit composito. Dabantur olim peculiariae preces ἐπισηπείζιοι, quarum Chrysostomus meminit, quales, iudice Casaubono, Ex. 16. num. 63. p. 520. erant propriae quibusdam Monachis montes incolentibus, iuxta alios autem Orientalibus ante & post mensam, immo quandoque in medio cibi adhibebantur. Adnectit Lydius p. 2. sqq. quaedam alia ex Antiquitate lectu digna: Praelia, inquit, imitaturae uariae gentes musica, siue uocali, siue instrumentali, utebantur. De Germanis sic Tacitus Hister. lib. 2. Ingerunt desuper Othoniani pila, librato magis & certo ictu, aduersus temere subeuntes cohortes Germanorum, cantu truci, & more patrio, nudis corporibus &c. Nec non lib. 4. Ut uirorum cantu, foeminarum ululatu, sonuit acies, nequaquam par a legionibus, cohortibusque redditur clamor. Et de Moribus Germ. Ituri in praelia canunt. Sunt illis haec quoque carmina, quorum relatu, quem Barditum uocant, accendant animos, futuraeque pugnae fortunam ipso cantu augurantur, terrent enim, trepidantue, prout sonuit acies. Nec tam uocis ille, quam uirtutis concentus uidetur. Affectatur praecipue asperitas soni, & fractum murmur, obiectis ad os scutis, quo plenior & grauior uox repercussu intumescat. De Thracibus idem lib. 4. Annal. More gentis, cum carminibus & tripudiis praefultabant. De Hispanis Silius Italicus:

- - ritu iam moris Iberi,
Carmina pulsata fundentem barbara cetra.

De Lusitanis Diodorus Siculus: Ἐν τοῖς πολέμοις πρὸς ῥυθμὸν ἐμβαίνεισι, & παῖνας ἄδουσιν, ὅταν ἐπίωσι τοῖς ἀντιπαραγμένοις.

In bellis ad numerum incedunt, & carmina canunt, cum ag-
 grediuntur hostem. De plurimis simul *Clemens Alexandr.*
Paedag. lib. 2. c. 4. χερῶνται γὰρ παρὰ τὰς πολέμους αὐτῶν τυρ-
 ρηνοὶ μὲν τῆ σάλπιγγι, σύριγγι δὲ Ἀρκάδες. Σικελοὶ δὲ πηκλί-
 σι, ἢ κρήτες λύρα, ἢ λακεδαμόνιοι αὐλῶ, καὶ κέρασι Θρηῆες,
 ἢ Αἰγύπτιοι τυμπάνω, ἢ Ἄραβες κυμβάλω. In bellis itaque
 suis tuba utuntur Hetrusci, fistula Arcades, Siculi autem
 πηκλίσι, (alii πυκτίσι) Cretenses lyra, Lacedaemonii tibia, cor-
 nu Thraeces, tympano Ægyptii, & Arabes cymbalo. Simi-
 lia habet *Athenaeus de Lydiis* agens *lib. 12. c. 4.* Accedit *Lu-*
cianus de Saltat. λακεδαμόνιοι μὲν, ἀριστοὶ Ἑλλήνων εἶναι δοκί-
 μους παρὰ Πολυδεύνας ἢ Κάστορ. καρυατίζεν μαθόντες, ἀρχήσεως
 δὲ ἢ τέτο εἶδ. ἐν Καρύας τῆς Λακωνικῆς διδασκόμενον, ἀπαντα
 μετὰ μυσῶν ποιῶσιν, ἄχρι τῆ πολυμῆν πρὸς αὐλὸν καὶ ῥυθμὸν ἢ
 εὐτακτον ἔμβασιν τῆ ποδός. Lacedaemonii quoque, qui Grae-
 corum censebantur praestantissimi, cum ex Polluce & Castore
 didicissent caryatistare, (quod saltationis genus Caryis, urbe
 Laconiae, docebatur,) omnia cum cantu faciebant, adeo, ut,
 ad tibiarum modulos & rythmum, moderatumque pedis in-
 gressum, praelia committere, solerent. *Petronius* etiam me-
 minit *Darii*, hydraule cantante, pugnantis. De *Cimbris* &
Teutonibus uidentur *Strabo lib. 7.* & *Plinius lib. 26. c. 4.* De
Syris quoque *lib. 2. Maccab. cap. 15. comm. 25.* Οἱ δὲ περὶ τὸν
 Νικάνορα μετὰ σαλπύγγων ἢ παμάνων προσηγόν. *Veteribus Hiber-*
nis tibiam, loco tympani, adscribit *Waraeus de Hiberniae*
Antiquitatibus cap. 12. Adde, (quod in primis memoran-
 dum,) ipsos *Hebraeos* in praelio ὑμνεῖν consueuisse. Nam sic
 de illis *lib. 2. Maccab. cap. 12. comm. 36. & 37.* τῶν δὲ περὶ τὸν
 Ἔσδριν ἐπὶ πλεῖον μαχομένων, ἢ κατακόπων ὄψων, ἐπιχαλισσάμε-
 ν. ὁ Ἰέδας τὸν κύριον σύμμαχον Φανῆται, ἢ προσδηγὸν τῆ πολέ-
 μω, κατὰξάμεν. τῆ παρὰ τὴν Φωνῆ τὴν μετ' ὑμνων κραυγὴν, ἐν-
 σείσας ἀπροσδοκῆτας τοῖς περὶ τὸν Γοργίαν, τροπὴν αὐτῶν ἐποίη-
 σατο. His autem, qui circa Hefdrin, diutius pugnantibus &
 fatigatis, inuocans Iudas Dominum, adiutorem apparere &
 ducem belli; Incipiens patria uoce, cum hymnis clamorem
 aggressus, improuise eos, qui erant circa Gorgiam, in fugam
 con-

conuertit. Huc refer etiam illud præceptum de tubarum usu in bello *Num. 10. 9.* & exempla, *Num. 31. 6.* & *11. Chron. 13. 12. 14.* Nec non de cantu *2. Chron. 20. 21. 22.* Est, cui illud *Ef. 30. 32.* huc referendum uidetur: Sic erit omnis locus, qua transibit uirga fundatissima, cui imposuerit Iehoua eam, cum tympanis & citharis, quando bellorum agitationem ipsam expugnauerit. De Assyrio sermo est. Fauent *Syrius & Arabs*, quorum ille Assyrio adscribit pugnam cum tympanis & citharis: Hic uero Deo, eiusque populo, pro quo pugnaturus erat ipse, eadem instrumenta in praelio tribuere uidetur. Manifestius adstipulari uidentur *LXX. Seniores.* αὐτοὶ μετὰ τυμπάνων (MS. Alexandrinum habet αὐτῶν) καὶ κithάρων πολεμήσουσιν αὐτὸν ἐκ μετὰβολῆς. Ipsi tympanis (Alii tibiis) & cithara pugnabunt contra eum ex commutatione. Haud nimis mirum ergo alicui uideatur, si Archi-strategus noster Christus praelium initurus cum potestate tenebrarum & Principe mundi Diabolo, hymnis decantatis cum discipulis, sibi animum addidisse, dicatur. Nam martyrrium eius praelio assimilatur, post quod in ipsa cruce triumphauit, cum exclamauit *τετέλεστο, Col. 2. 15. Ioh. 19. 30.* Haec uero Lydius. Erudire maximam partem haec proferuntur. Sed enim cauendum est, ne, Christum morem esse secutum Paganorum, temere dicamus, aut luctam Seruatoris cum Gentilium pugna inconsiderate conferamus, quod a Christiano, non nisi caute, oportebat fieri.

§. 3. Ἐξῆλθε Seruator extra urbem, cuius portae etiam noctu patebant alta pace, praefertim festis diebus, cum tantae multitudini locus ad quietem intra urbem non esset. *Grotius ad Ioh. 18. 1.* Hic tamen dubium aliquibus subnascitur, quando legunt *Exod. 12. 22.* וְחָמֵס לֹא תֵצֵא מִן הַבַּיִת וְשֵׁם אִישׁ מִפֶּתַח בֵּיתוֹ עַד בֹּקֶר, & uos non exeatis aliquis extra ostium domus suae usque ad mane, und gehe kein Mensch zu seiner Haus- Thür heraus, bis an den Morgen; Et quando Hebraeorum aiunt Magistri, lege exitum ex urbe nocte illa esse interdictum. Sed enim ritus aliqui non, nisi in primi Paschatis celebratione, obseruandi erant, qui postea cessarunt, quos inter & ille eminet, qui *Cap. 12. Exod. 22.* recensetur de sanguinis adspersione.

Magistros uero simpliciter sequi uelle, qui plerumque mali, immo quandoque pessimi scripturarum sunt interpretes, esset ἀτοπον. De cetero *Talmudici* portas apertas cum pacis commodis connumerant, quemadmodum Antiqui portas clausas belli signum putabant. Vid. *Ant. Bynaeus*, l. c. p. 21.

§. 4. In ipso itinere, ut multis placet, Seruator de discipulorum scandalizatione agens ad discipulos dicit: πάντας υμῶς σκανδαλιθήσαθε ἐν ἐμοὶ ἐν τῇ νυκτὶ ταύτῃ. *Omnes uos offendiculum pariemini MEA CAUSA in nocte hac.* Σκάνδαλον, teste *Bynaeo*, uix alibi, quam in *S. codice*, aut uersionibus illius, reperitur, & proprie designat offendiculum, impedimentum in uia positum, ad quod aliquis pede suo offendit, siue impingit, ita, ut ipsi graue sit ac molestum. *Leu. 19. 14.* Non maledices surdo, & ante coecum non pones חסדד, स्कान्डालον, offendiculum. *Iudith. 5. 1.* Καὶ ἔθηκαν ἐν τοῖς πεδίοις σκάνδαλα, posuerant etiam in agris offendicula, id est, impedimenta & obstacula, quae hostem abigerent. Μεταφορικῶς capitur quoque de hominibus, quando unus alteri est σκανδάλω, offendiculo, sicuti Christus *Mt. 11. 6.* *Marc. 6. 3.* *1. Cor. 1. 23.* & b. l. erat hostibus scandalum, non quidem datum, sed acceptum. Verba enim nostra obiectiue explicanda sunt, ita, ut Seruator futurus sit scandali illius accepti materia, quippe Christus lapis angularis erat Iudaeis impedimentum in uia quasi positum, ad quod coeci illi homines offendeabant, hinc स्कान्डालον, offendiculum illud, lapidem obuium e uia & de medio tollebant. ARABS transfudit: *Dubitantes & animo diuisi, & PERSA: Duplici animo eritis, ut solent, persecutione ingruente, timidi, ac turbati incertos animi se praebere, quam uiam eligant & insistant.* Tales Iacobο διψυχοι audiunt, cap. 1. 8.

§. 5. Ἐξηγήσατο. Ecce Satanus expoposcit uos, ut cribraret sicut triticum. Ἐξαιεῖν, uel ἐξαιεῖσθαι, non occurrit amplius in N. T. Graecis tamen uox illa non est infrequens, quibus denotat petere, uel poscere, ut quis dedatur sibi, quando aliquis, qui uinculis constrictus tenebatur, &, liceat ita loqui, exposcitur ab alio, & in alterius manus traditur, quo sensu,
nec

nec male, exponunt *Ioh. Pricaeus ad Luc. 22. 31. Grotius ad Luc. 22. 31. Bynaeus de M. C. l. 2. c. 1. p. 35.* quibuscum facere uidentur *Vulgatus, Versio Interlin. Desid. Erasmi, Belgae, Lutherus*: Hat euer begehret, & plurimi Patrum. Exposcere enim Latinis ἐπιφαίνω idem quandoque ualet, quod Graecum ἐξαίρειναι, petere, l. pascere, ut quis tradatur. Optime Bynaeus in Antiq. Passio. p. 332. Bey andern Griechischen Scribenten kommt es offtermahls vor in der Bedeutung, auffordern, oder zur Ubergab begehren. So liestet man bey Plutarcho in Narr. amat. Εἶτα κίμπρσι Θηβαίοι ἐξαίρυντες τῷ Φόκῳ Φοβέει. D. i. Darnach sandten die Thebaner und begehreten herauss die Mörder des Phoci. Desgleichen bey Demosthene: Ἐξαίρειναι ὑπὸ Φιλίππου καὶ ἐπ' Ἀλεξάνδρου. D. i. auffgefordert werden von Philippo und Alexander. Und so ist die Krafft dieses Wortes, begehren, daß jemand an einen übergeben werde.

§. 6. Σιδάσαι emphatica uox est, quae semel tantum reperitur in *Scripturis*, nempe *Luc. 22. 31. Vulgatus* transtulit: *Vt cribraret*; Ita uertunt *Des. Erasmi, Interlin. Versio, Luther. Er. Schmid. Syrus* $\text{קִיבְּרוּ} \text{---} \text{וְיִכְרְמוּ}$, & Arabs similiter habet, ut *cribraret uos*. כַּרַב enim proprie Hebraeis est miscere, unde Syris propria subnata significatio cribrare, quum agitando, ut ait *Ludou. de Dieu* ad l. c. frumentum inter se permiscetur. *Suidas* τὸ σιδάσαι exponit per σείσαι, κοκυνησαι, θορυβησαι, ταράξαι, πειράσαι, concutere, cribrare, perturbare, commouere, tentare. HEINSIUS adnotat, σίβιον apud *Hesychium* esse cibum, & σιδάζειναι, cribrare. GROTIUS uertit כַּרַב , etiamsi uox כַּרַב uim τῷ σιδάσαι plenissime non exhauriat.

§. 7. Seruator transgreditur torrentem *Kidron*. *Vetustissimus codex*, quem *Cyrillus Lucaris*, Patriarcha *Alexandr. Carolo I. Britanniarum Regi* dono obtulit, & *codex Cantabrigiensis*, qui *Theod. Bezae* fuit, legunt τῷ νίδεων, cui lectioni subscribunt *Stunica, Reuchlin. Beza, Drus. Castalio, Camer. Casaubon. Piscator, Er. Schmid. alii. H. Stephan. R. Stephan. Crisp. & Ald.* habent τῶν νίδεων. *Bynaeus de M. C. l. 2. c. 2. p. 68.*

p. 68. suam annectit ἐπίκρισιν: Ego, inquit, in hoc virorum eruditissimorum dissensu, utrum τῶν κέδρων scriptum a Iohanne sit, an Ἰξ κέδρων, uel κεδρών, non facile posse dici, existimo. Mihi satis probata est lectio τῶν κέδρων, cedrorum, nec contemnenda κεδρών sine articulo. Sagittar. p. 311. Selectos codices uel plane omittere, Articulum, uel habere τῶν κεδρών, uiri docti testantur. Schindler. Lex. p. 1588. Reland. Palaest. l. 1. c. 45. p. 295. & Lightf. ad Ioh. 18. 1. p. 667. deducunt a קרר, obscurum, nigrum esse, ut קרר sit quasi torrens tenebricosus, uel ob nigredinem terrae, uel ob arbores umbrosas & densas, ad utrumque torrentis latus copiose confitas, sicut hodie Germani Hercyniam syluam adpellant den Schwarzwald. Alii interpretantur torrentem τῶν κέδρων, cedrorum, quam explanationem simpliciter non reiicimus. Etenim, si dicamus, quod res est, cedri arbores erant longe lateque diffusae, densae & umbrosae, locis quoque crescentes humidioribus. Nam illos, qui cum Sagittario contrariam in partem eunt, nosse oportebat, montes non semper siccitate, uerum quandoque etiam, immo saepissime, humiditate gaudere. Libanus, in primis cedris in S. historia nobilitatus, & niue contactus, non poterat non esse humidus, quod, ut prius illud Physicis notissimum, ita nemo hoc, rerum antiquarum gnarus, in dubium uocabit. Num. 24. 6. Ezech. 31. 4. 5. expressã extat litera, quae cedris locum humidum atque profundum relinquit. An uero Salomon primus cedros ad torrentem Cedron plantarit, admodum incertum putamus, parum quoque hac in re situm est. Annectimus, quod apud Theophr. Hist. l. 5. c. 8. traditum legitur. Ἐν Συρίᾳ γὰρ ἐν τῇ τοῖς ὄρεσι, διαφέροισι γίνεσθαι τὰ δένδρα τῆς κέδρου, καὶ τῶ ὕψει καὶ τῶ πάχει. Τηλικαῦτα γὰρ ἐστίν, ὡς τ' ἐνία μὲν μὴ δύνασθαι τρεῖς ἄνδρας περιλαμβάνειν. τοῖς δὲ παραδείσοις ἔτι καὶ μέγιστα, καὶ καλλία. Nam in Syria etiam in montibus crescunt cedri altitudine & densitate conspicuae; Nam tam magnae molis sunt, ut aliquas tribus uiri manibus non demeriri queas; Sed in Paradisis, aut hortis, pulchriores, & altiores conspiciuntur. Arabs aliquando reddit trans torrentem קרר, cedri, quae uox Ioh. 18:1. Arabi secundum consuetu-

ponendum relinquo, nostramque obseruationem uerbis *Daf-
souii* finio: *Sudabat autem guttas sanguinum in monte oliueti,
ubi sanguis uaccae rufae guttatim sparsus cadebat in terram.
Nam Sacerdos uaccam illam immolans, sanguinem eius exci-
piebat manu sinistra, & digito indice manus dextrae in sangui-
nem intincto, spargebat septies guttas sanguinis in aerem,
quae postea cadebant in terram, ut docet Maim. de Vacca
Rufa c. 3.*

§. 6. ἀπέχει. *Hesychius ἀπόχη, ἐξαρκεί, sufficit, actum est.
Scapula ἀπέχει impersonaliter: SATIS EST, SVFFICIT. Apud
Marcum duo codices Bibliothecae Bodleianae, N. T. Thomae
Montfortii & quatuor Euangelia in Collegio Lincolnensi Oxoniae post ἀπέχει addunt τὸ τέλος. Sed Bynaeo merum glos-
fema uidetur. Vulgatus, Desider. Erasmus, Interlin. Versio,
Piscator, Er. Schmid. uertunt SVFFICIT; Castalio: SATIS EST.
Consonant Belgae, het is genoech. Eodem sensu explicant
Syrus, in editis exemplaribus adpropinquauit, מטת הררה,
finis, in MSis uero קרב שלום, adpropinquauit consum-
matio; Arabs, Grotius, Ludou. de Dien. Beza ad h. l. submo-
net: Dubitanti mihi de hac interpretatione tandem occurrit
locus Anacreontis in Odario. ἄγε ζωγεῖσθαι ἀγίστε, ubi, post-
quam multa pictori praecepit, tandem, ueluti perfecta ima-
gine, subiicit: ἀπέχει, βλέπω γὰρ αὐτὴν, id est, SVFFICIT,
IAM ENIM IPSAM INTVEOR. Lydius explicat per Belgicam lo-
cutionem het heeft het wech, id est, res nostrae finem habent,
& quicquid conuersationi nostrae debebatur, peractum est.
Latinorum HABET quandoque accipitur de pugilibus uul-
neratis, uti *Donatus ad Terent.* notat. Sic quoque *Seneca:*
HABET, PERACTVM EST. In ludis igitur gladiatoriiis, qua de
re *Lips. Saturn. 2. 21.* ἀπέχει est deditionis formula, quo
sensu exponit *Bynaeus de M. C. l. 2. c. 2. p. 142.* ἀπέχει en-
nim & *Marco & Anacreonti* significat idem, quod *Virgil.*
Terent. Seneca dicunt, HABET, peractum est. Atque ita apud
Marcum uertunt *Arabs & Syrus*, ADEST FINIS. *Grot. ad M.*
26. 45. Rex Francorum, maximum uictoriae decus, supplex*

B

quum

quum in castra uenisset Romanorum, tum & phaleras & sua arma ante Caesaris genua proicit: HABES, inquit, FORTEM VIRVM, VIR FORTISSIME, VICISTI. uid. *Graeu. ad Flor. l. 3. c. 10. 26. p. m. 259.* Voluit igitur Seruator dicere ἀπέχει, HABET, et hats weg, nullus superest fugae, solatiique locus, quemadmodum porro explicat: *Ecce hora adest, qua filius hominis tradatur in manus peccatorum.* Hora praecise illa fuisse creditur, qua agnum quotidianum excipiebant ardentibus facibus, quae dicitur ab Euangelista ἡ ὥρα ἣ ἐξῆς τῆ συνίτας, hora & potestas tenebrarum, ubi per τὸ συνίτας, intelligunt interpretes ipsum Satanam, principem tenebrarum, uinculis aeternarum tenebrarum constrictum, qua de re uideantur Theologi.

§. 7. Per ἀμαρτωλός Gerh. *Ioh. Vossius, Harm. Euang. l. 1. c. 20. §. 22.* intelligit milites Romanos e cohorte illa, quam Praefes Rom. festus soleret diebus adiacere ad Templi custodiam uigilibus Iudaeis. Consentit *Grotius ad Matth. 26. 45. Cocceius Disp. Select. XXXVI. Piscator in Schol. ad Matth. 26. 46. Bynaeus de M. C. l. 2. c. 2. p. 145. Belgae, alii.* Recte utique. Sensus enim planissimus est: *Hora uenit, in qua traditur filius hominis a Iuda, εἰς τὰς χεῖρας τῶν ἀμαρτωλῶν, in manus peccatorum, id est, idololatrarum, qui erant Iudaeis exosissimi, רשעים κατ' ἐξοχήν, Es. 53. 9. ἄνομοι Act. 2. 23. 1. Cor. 9. 21. & ἄθεοι.* Christum uero traditum esse in manus Gentilium, nemo historiae S. gnarus inficiabitur. Sancti Hebraei ac Israelitae ἄμαρτωλοι adpellabantur, ex Hebraeis, f. natura Iudaei, quibus opponebantur ἀμαρτωλοὶ Gentiles, *Gal. 2. 15. Eph. 2. 12. Act. 2. 23.* Sicut autem Graeci alias nationes fugiebant, Romnique omnes alios barbaros adpellabant; Ita Hebraei commercium cum Gentilibus abominabile & magno de ecori erat; Publicani in primis & prostibula Hebraeis νόμοι καὶ βεβηλοὶ putabantur, unde ἀμαρτωλός dicitur mulier meretrix, teste *Casaub. ad Luc. 7. 37. Ioh. 8. 11. & Latinis apud Tibullum l. 4. Eleg. 14.* notanter legitur de scorto:

Rumor ait crebro, nostram peccare puellam.

Horum

Horum attactum fugiebant maxime Pharifaei, quare ille *Luc. 7.*
 Hic, si efflet Propheta, fciret utique - - - quae tangit eum,
 quod peccatrix fit. Vid. *Ioh. Pricaeus ad Luc. 7. 37.* Iam
Parti Priori Obferuationum Critico-Paffionalium ultimas ad-
 iicio manus, DEO que T. O. M. gratias habeo decentiffimas
 enixe rogans, uelit operae huic aufpicatae coeptae, felici-
 terque continuatae, porro benigniffime adelfe, atque adeo
 effficere, ut non hos modo, uerum alios etiam labores plu-
 rimos, feliciffime superemus. Conferuet SVMMVM
 NVME N SERENISSIMVM REGEM, PRINCIPEM
 CLEMENTISSIMVM, NVTRITOREM ET ACADE-
 MIARVM STATOREM EXOPTATISSIMVM, una cum
uniuerfa Regia Domo Saxonica, Regis que Confiliariis, fospitem
 atque felicem plurimos in annos, ut, aufpicatiffimo, clemen-
 tiffimoque regimine diu frui, liceat. Conferuet quoque RE-
 CTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ceterosque
 PATRES CONSCRIPTOS, *Patronos & ftudiorum noftrorum*
Promotores omni pietatis & obfequii cultu deuenerandos, quo-
 rum Bibliothecae locupletiffimae mihi femper patuerunt, o-
 mnibusque uelit fortunis exoptatiffimis diu affluentes. Quod
 reliquum eft, Te, *Beneuole Lector,* rogo, uelis pro humanitate
 tua erroribus, qui tamen leues erunt, ueniam dare, & per-
 petuo cogitare, me hominem elfe. Dabo operam, ut, maiori-
 bus deinceps adhibitis curis, *Difertationes* fubfecuturae accu-
 ratori paulo ftudio elaboratae in lucem emittantur. His fane
 difquifitionibus qualibufcunq; temporis fpatium breue ad-
 modum, ut alios labores & impedimenta quam plurima ta-
 ceam, designatum fuit. DEO tandem fit laus, gloria
 & honor in fecula feculorum! Amen.

NOBI-


NOBILISSIMO
DOMINO RESPONDENTI
FAVORI ET AMICO SVO

S. D.

PRAESES.

Quum graue, multisque difficultatibus impeditum opus sit, illis se literis consecrare, quae sibi a sacris nomen sortuntur, laude quis fraudaret eos, qui, ex quo studiorum ingrediuntur uiam, in id sedulo incumbunt, ut omne studium in Linguis, ceterisque bonis artibus cognoscendis ponant, quo Scripturas puris e fontibus explicare, τὴν πᾶσαν Φιλοσοφίαν ἔργων λοπαδείαν pede non impedito perreptare, Veterum monumenta legere, historias, ritus, cetera ἀόλογοσώπως ex illis deferre queant. Haec cum intueor, Nobilissime Domine Respondens, immortaliter mihi de hodierna illa gaudeo felicitate, quod in Te talem sim expertus, qui, dicta abs me ueritati respondere exactissime, uiuo, eoque insigni, suo loquatur exemplo. Eoque magis lactor, quo magis pietatis documenta cum industria arctissimo nexu coniunctae omnibus aequis rerum aestimatoribus exponis. Quo nomine & Tibi cathedram bis, me Praeside, ascendenti & de argumento selectissimo omnium cum plausu disputanti, & Plurimum Reuerendo Domino Parenti, quem DEVS omnibus fortunis exoptatissimis diu uelit affluentem, animitus gratulor, SVMVMQVE NVMEN enixe rogo, ut prolixam Tibi Patronorum uoluntatem conciliet, atque adeo efficiat, ut, continuatis ex uoto studiis, Tuis ingenii dotibus, quae non exiguae sunt, & Ecclesiae & Reipublicae plurimum lucreris. Quod reliquum est, me amicitiae Tuae desideratissimae iterum iterumque commendando. Dabam Virembergae in Saxonibus die XIV.

Sept. M. DCC. XX.



Th: 780

ULB Halle

3

002 500 698




Sb.

KO17
D

n. C.







17.

Q. D. B. V
DISSERTATIO VII.
OBSERVATIONVM
CRITICO-PASSIONALIVM
PRAEDICTIONEM CHRISTI
DE DISCIPVLORVM SCANDALIZATIONE
SIGILLATIM EXAMINANS
QVAM
INCLVTAE FACVLTATIS PHILOSOPHICAE
INDVLTV
IN ILLVSTRI AD ALBIM ACADEMIA
DIE XXI SEPT. M. DCC. XX.
PLACIDAE ERVDITORVM *συζητήσει*
SVBMITTIT
PRAESES
SAMVEL FRIDER. BVCHERVS
AA. ET PHIL. MAG.
ET
RESPONDENS
CAR. GODOFR. LOCHMANNVS
SPANSBERG. MISN. S.S. THEOL. STVD.

VITEMBERGAE
LITERIS CHRIST. SCHROEDERI, ACAD. TYP.

